



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

XXIX. Num quæ sint humanæ Dispositiones ad Iustificationem?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

QVÆSTIO XXIX.

Num quæ sint humana Dispositiones ad Iustificationem?

XLVII. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ communiter negant omnem in & ex homine dispositionem propriam, ad Iustificationem à peccatis: sed hominem volunt simpliciter passiuè agi à Deo & cogi.

CHRISTVS. I. At Ego prædicauit adultis, Mat. 3. *Parate viam Domini; Pœnitentiam agite.* Quippe, Prou. 16. *Hominis est præparare animam.* Quocirca, 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino.* Atque hæc adulti rationes competes valent, ac debent. In infantibus, ratiōnisque carentibus vtu, sat est aliena fides.

II. Sic tamen hominis est præparare animam, vt ipsa illa præparatio gratia indigeat præueniente, qua cum homo Actiuè concurret, non passiuè. *Agite, inquam, pœnitentiam.* Mat. 3. *Facite,* Mat. 7. *arborem bonam, & fructum eius.* Ezech. 18. *Facite vobis cor nouum.* Quocirca principalior est autor iustificationis DEVS, mouens liberum arb. Proinde nemo potest infallibiliter cognoscere suæ sufficientiam dispositionis: Mereri verò multò minus.

QVÆSTIO XXX.

Quid sit Fides iustificans? An fiducia?
An Notitia?

XLVIII. ANTICHRISTIANI. MVS.

LVTHERANI, & iuxta CALVINIANI pertendunt Fidem iustificantem esse FIDUCIAM specialis misericordiæ de remissis sibi peccatis: Ideoq; obiectum Fidei esse Scripturæ quidem omnem, at propriè solum Promissiones in eadem factas. Luthero-caluin. parte 4. quæst. 53. 54.

CHRISTVS. At longè secus Apostolus meum vas electionis, Hebr. 11. *Fides est sperandarum substantiarum rerum, vt Græci legunt; seu, vt Latini vertunt, est sperantium fundamentum.* Vnde fidei spes innititur: *Argumentū,* conuincens intellectum, non *Apparentium;* quales sunt res REVELATÆ; siue ex sint Historicæ relationes & doctrinæ; siue Miracula, seu Promissiones, siue Mandata aut Consilia: *Qualia ibidem c. 10. & 11. commemorat Apostolus; Vt de Historica Fide; Per eam intelligimus aptata esse secula: De Miraculorum fides; Per eam Sancti vicerunt regna, obturauerunt ora leonum: De promissis: Per eam adepti sunt repromissiones in Christo Iesu.*

II. Fidem facere trifidam Historicam, Miraculorum, & Promissionum; hancque Promissionum solam iustificare, commentum est profanum. Nam Vna fides est, ceu DEVS vnus, & vna Veritas reuelans ac reuelata, quæ omnia ista, aliaque plura complectitur. Crede re igitur S. Scripturæ Historiam, Miracula, Promissâ; hæc inquam singula saluant; non quæ de singulis fides sit singularis, sed omnium vna. Id quod in Luthero cal. p. 4. q. 52.

XLIX. ANTICHRISTIANISMVS.

LVTHERO-CALVINISTÆ, Fides est fiducia, & Notitia.

CHRE-